



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. XL. Expectans expectavi Dominum, &c. Carm. gen. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Spes omnis in te: miseræ fontem meæ
 Peccata tolle noxia.
 Néue esse stultis me finas & improbis
 Despectui & ludibrio.
 Hostis proterui lingua me quum turpibus
 Proscinderet conuitijs,
 Obmutui: iræ uindices pœnas tuæ
 Has esse gnarus scilicet,
 Rector parensq; gentis humanæ tua
 Paulisper aufer uerbera.
 Viresq; linquunt, uita nec semper nouis
 Plagis ferendis sufficit.
 Te persequente scelera pœnis, illico
 Vigor decorq; defluit,
 Tineis peresæ more uestis. O homo
 Caduca res & futilis!
 Parens benigne precibus aurem da meis:
 Neu uerba sperne supplicis.
 Neu lacrymanti auerte uultus hospiti.
 Nanq; hospes hanc terram colo:
 Nec ego, parentes nec mei certum locum
 Habemus hîc: sed in diem
 Solliciti & horas, turbidas molestias
 Vitæ breuis transegimus.
 Igitur seueram paululum abstine manum,
 Fessum ut resumam spiritum:
 Mortis priusquam, reditus unde non patet,
 Transmiserit me ianua.

PSAL. XL. *Expectans expectaui Do-*
minum, &c.

Carm. gen. 16.

Quum

Quum circumfremere me timor & mine,
Intentansq; auidam mors fera dexteram,
Spes caelestis opis fera licet, tamen
Lenibat trepidam sollicitudinem.

Aduertit Dominus, meq; uoragine
Cœnosi implicitum gurgitis extulit:
Ac saxi solidis imposito iugis
Monstrauit facilem qua graderer uiam.

Afflauitq; nouo pectora spiritu,
Suffecitq; suæ materiam nouam
Laudis, quam canerem dulce loquacibus
Neruis, ac numeris lenè sonantibus.

Hæc cernant rapidæ qui uolentia
Fati uel dubijs casibus imputant
Euenta, ac trepidi se Domini in fidem
Dent qui stellifero regnat in æthere.

Felix qui stabili spe Dominum ac fide
Spectat, quem tumidæ pompa superbiæ
Non ad se illecebris ducit inanibus,
Fallaciq; boni ludit imagine.

In nos sancte parens quot uigilantiæ
Et quàm mirà tuæ pignora suppetunt!
Quæ nec mens acie cernere languida
Possit, nec numero lingua retexere.

Aurem mî tacitè uellis, & admones
Quòd labem sceleris nec pretium leuet,
Nec sanguis pecudis nil meritæ eluat,
Nec consumpta focis expiet hostia.

Tum dixi, Venio: quod libet impera.
Adsum sancte parens, iussa capessere
Promptus: ceu tabulis scripta fidelibus
Edunt

Edunt perpetui fata uoluminis.

Huc mens, huc studium tendit, uti tuis
Conformem monitis quæ gero, quæ loquor,
Quæ mecum tacitus cogito. nam tua
Incisa est animo lex penitus meo.

Famam iustitiæ per populos tuæ
Latè præco fero: nec labijs meis
Nec linguæ requies, omnibus ut tua
Terris (ipse uides) nota sit æquitas.

Nec iustum tacui te mala plectere,
Promissi quæ tenacem, & miseris opis
Largum: me bonitas indice gentibus
Cunctis facta palàm est, & tua ueritas.

Defendant igitur me bonitas tua,
Promissi quæ fides fallere nescia:
Obsessum quæ malis innumeris tua
Me rerum genitor protege dextera.

Me pœnæ, capitis quæ superent pilos,
Omni ex parte premunt: quas neque luminis
In promptu est acie nosse: animus stupet,
Curarum innumeris obrutus æstibus.

At tu mundi opifex sancte, salutifer
Adsis: auxilium fer cito, & ultimis
Oppressum penitus subtrahere me malis,
Ut prauum pudeat consilij improbos.

Turpem ignominia tristitiam ferant,
Tendunt exitio qui laqueos meo;
Infamem referant consilij exitum
Nostris qui capiunt lætitiã e malis.

Hunc fructum sceleris percipiant sui,
In fraudem ut recidant quam mihi struxerāt.

Frustra-

Frustratus doleatq; & rubeat meas
Qui ridet lacrymas, & fruitur malis.

Qui credunt fidei se penitus tuæ,
Illos auxiliij spes recreet tui:

Ac semper Domini nomen amabile
Certent tergeminis tollere honoribus.

Expes, pauper, inops sim licet: at mihi
Custos rerum opifex peruigil excubat.

Vitæ ô præsidium & certa salus meæ
Adfis, neu trepida me crucia mora.

PSAL. XLI. *Beatus uir qui intelligit su-
per egenum, &c.* Carm. gen. 3.

BEatus ille qui misertus pauperis,
Fert rebus in duris opem:

Nec arroganti despicit fastidio
Prostratum & oppressum malis.

Quem rere fractum & penitus abiectū, Deus
Attollet & solabitur.

Cura fideli Dominus illum muniet,
Et è periculis eruet:

Interq; uiuos sospiti dabit frui
Vitæ beatæ commo dis.

Artus cubili quum dolor prostrauerit,
Opem feretq;, & lectulum

Versabit: omnem prorsus ægritudinem
In dulce uertet gaudium.

Quum me doloris uis acerbi affligeret,
Opem poposci te Deus.

Animæ medere sauciæ (dixi) sui
Sceleris pudendo uulnere.

Dira